

Haydonibus Turcarum instinctu ratione transactionis Hungaricae et Turcicae, nuper conclusae, exuscitata, hic conuenissemus, nobisque nihil aequè prius vel antiquius habendum duximus, quam non modo Regnum Hungariae sed etiam vicina Regna et Provincias a praesentissimo eorum interitu vindicare. Ideo ne Regnum hoc propterea a Christianitate auellatur, neue Turcarum depopulationi caeteraque Regna et Provinciae pateant; placuit nobis et in persona reliquorum Statuum nunc absentium, nos invicem arcta necessitudine confoederare, firmumque et inuiolabile foedus inire, prout praesentibus quoque iniuimus et confirmauimus, ea conditione, quod si nimirum temporis successu, propter, vel contra Transactionem Viennensem et Turcicam, nuperrime conclusam, quam seruare intendimus, nobis, Regnis, Prouinciis et Patriis nostris, aut eiusdem commembris et confoederatis, hostis aut Turbator aliquis ingrueret: Extunc nos ac omnes Status et Ordines tam Regni Hungariae, quam Archiducatus Inferioris et Superioris Austriae, mutuis auxiliis et suppetijs, Nobis et Nostris commembris et confoederatis non defuturos, sed, tanquam in communi periculo Nos et nostros omnes et singulos ratione pacis et confoederationis huius Interessatos, tueri, defendere, iuvare, ac propterea simul viuere et mori teneri et obligatos esse. In cuius rei fidem, certitudinem, perpetuamque firmitatem, hasce nostras, sub sigillis et Chyrogaphis, futura pro cautela dandas duximus et expediendas. Actum Posonii prima die Februarii Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Octauo. *)

Ideo iidem Domini Status et Ordines huius Regni, perlectis et intellectis praeominatis Litteris patentibus simul et clausis, omnes et singuli summa recreati letitia, quod sua Serenitas pia et paterna cura, ac dicti Status et Ordines tale foedus sanxerint, quo non solum collapsae antiquae libertates et immunitates nostrae, secundum conclusiones Viennenses, restaurabuntur, verum etiam augebuntur, et illibatae seruabuntur: In singulis punctis et clausulis praelibatam confoederationem, praeter libertatem Religionis, cuius usum et exercitium his in Regnis, secundum tenorem praefatarum conclusionum Viennensium, liberum esse nolunt; approbant, acceptant et ratificant, parati cum Sua Serenitate et praedictis Regno ac Prouinciis iam confoederatis, et deinceps confoederandis, in omnibus fortunae casibus et periculis contra quosuis hostes et inimicos atque Turbatores praedictae confoederationis insurgere, vivere pariter et mori; Sperantes, quod tam Sua Serenitas, quam etiam saepefatum Regnum Hungariae et Provinciae confoederatae, eam sint habituri curam, ut horum Regnorum libertates quamprimum restituantur, et semper sancte ac inuiolabiliter conseruentur. In cuius rei fidem, certitudinem, perpetuamque firmitatem, iidem Domini Status et Ordines Litteras suas sub hac verborum forma, sigillo ipsorum publico muniendas, praefatis Suae Serenitati et Statibus ac Ordinibus confoederatis, dandas duxerunt et expediendas, atque per eundem Dominum Comitem Thomam Erdödy Suae Serenitati ac saepedictis Statibus et Ordinibus transmittendas censent.

Originale in Archivio Regni Croatiae.

*) Originale harum literarum, 82 chyrogaphis et sigillis provisum, asseruatur in Archivio Regni Croatiae.